

**Usum corticis salicis fragilis variis in morbis, praecipue in febribus putridis
... / publice defende Josephus Loeben.**

Contributors

Loeben, Josephus.
Otto, B. C.
Universität Frankfurt an der Oder.

Publication/Creation

Frankfort-on-Oder : Apitz, [1793]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/gkyr37nm>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.


You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

[P]

LOEBEN



Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30359673>

7
V S V M (P)
CORTICIS SALICIS FRAGI-
LIS VARIIS IN MORBIS,
PRAECIPVE
IN FEBRIBVS PVTRIDIS

PRAESIDE
BERNHARDO CHRISTIANO OTTO
PHIL. ET MED. DOCT. MEDICIN. PROF. PVBL. ORD. SO-
CIETAT. PATRIOT. OECONOM. SILESIAC. ET MARCH. BRAN-
DENB. PHYSIOGRAPH. LVNDENS. ET NATVR. SCRVTAT.
BEROLINENS. ATQVE HALENS. SODALE, ORDI-
NIS MEDICI H. T. DECANO,
PRO SVMMO IN ARTE MEDICA GRADV
A. D. IX. AVGVSTI C1DCICCCXCIII.

PVBlice DEFENDET
IOSEPHVS LOEBEN
NEOSTADIO - POLONVS.

TRAIECTI AD VIADRV
LITTERIS APITZIANIS.



ILLVSTRISSIMO

AC

EXCELLENTISSIMO DOMINO

DOMINO

LVCAE COMITI DE BNINSKY

ALBAE AQVILAE ORDINIS EQVITI

DOMINO HAEREDITARIO

IN TERRITORIO SIERAKOWENSI ETC.

NEC NON

VIRO DOCTISSIMO AC

EXPERIENTISSIMO

CHRIST. GOTTLIEB SELLE

MEDICINAE DOCTORI CELEBRI, ACADEM. REG. SCIENT.
BEROLINENS. ET SOCIETAT. REG. MEDICOR. LONDI-
NENS. ATQVE DIRECT. PAVPER. REG. SODALE, NO-
SOCOM. CHARITAT. MEDICO

SVMMIS SVIS PATRONIS AC
FAVTOBVS

H O C

STVDIORVM ACADEMICORVM SPECIMEN


IS

PERPETVVM GRATISSIMI ANIMI
DOCUMENTVM

D. D. D.

IOSEPHVS LOEBEN

NEOSTADIO - POLONVS.



PROOEMIUM.

Iam antiquissimorum temporum medici omnem operam impenderunt, variaque pericula cum omnibus fere tam regni vegetabilis, quam regni animalis productis fecerunt, ut certum remedium inuenirent, cuius ope febres vulgo putridae dictae sanari possent. Cum autem hucusque semper tanta medicorum dissensio de harum febrium natura obtinuerit, varia etiam iis medendi methodus inde originem sumsit.

Satis sit mihi dixisse, cortici peruiano plerumque vim quandam specificam hos morbos repellendi tributam esse, atque perplures eum hic tanti pependisse, quanti mercurius in lue venerea aestimandus sit. Verum enimvero magnam medicamentorum copiam regnum vegetabile nobis aequè suppeditat, quae omnia iisdem propemodum virtutibus ac qualitatibus praedita sunt, quibus cortex peruianus gaudet. Pauci medicorum hanc rem accuratius explorare et pericula sua diuulgare haëtenus operae pretium censuerunt. Multis etiam difficultatibus eiusmodi coepta premuntur. Praxis enim priuata haud facile experimenta facienda admittit; nosocomia vero publica perraro tot aegrotos his febribus correptos exhibent, quot exigerentur, si alias aliquid certi de huiusmodi remediis concludi deberet. Vtinam haec pericula a pluribus instituerentur prospereque caderent! Quanta hinc emolumenta cum rei publicae tum hominibus priuatis enascerentur! Longi itineris compendia silentio transeo, quum hae plantae minime ex terris remotis huc deducendae sint, sed totam fere Europam patriam habeant.

Quo

Quo etiam fit, ut fere vicesima parte minoris eman-
tur quam cortex peruianus, et tamen iisdem effe-
ctibus salutaribus non careant. Magna sane salus
et in nosocomia ciuica et in castrensia ex isto fonte
redundabit, quae gentem rusticam ad hos morbos
pronam quoque attinget; regiones enim humidas
paludosasque saepe incolit, quarum hae plantae
etiam amantissimae sunt. Huiusmodi meditationes
animum meum eo appulerunt, ut propria experi-
menta cum cortice salicis fragilis instituerem haec-
que cum iis aliorum conferrem. Quae cum a dis-
sertationis inauguralis fine non abludere crederem,
ea collegi et nunc vestro L. B. iudicio submitto, spe-
rans, vos oculis propitiis hoc specimen aspecturos
esse.

§. I.

De solo salicis fragilis cortice hic sermocinabor, cum ex omnibus, quae cortici peruviano substitui posse dicuntur, eum proxime attingat. Folia eiusdem etiam quidem interdum in usum vocata sunt, sed tantum externe. Praeter hanc quinque aliae salicum species in materiam medicam receptae sunt, 1) salix nempe laurea seu pentandra, 2) f. alba, 3) f. caprea, 4) f. vitellina, 5) f. amygdalina Linn. Omnium vero praestantissimae tam in acutis, quam in longinquis morbis sanandis salix alba et fragilis medicis visae sunt. Et mihi ipsi occasio sese obtulit, vires salubres corticis salicis fragilis variis in casibus experiri, de quibus infra fusius dicam. Hic cortex sapore amaro subadstringente linguam afficit, odores vero graues ingratos spirat.

§. II.

Abhinc triennium Cel. LOEFFLER, medicus rufficus librum a) in lucem publicam edidit, qui varia eius pericula cum illo cortice in chronicis atque acutis morbis facta exhibet. Optatis suis semper respondisse de eo praedicat. Vsum eius praecipue nau-

tis

a) Beiträge zur Chirurgie und Medicin.

tis commendat, quia ad scorbutum fugandum omnibus aliis medicamentis illum praeferri posse putat. Iam ante hunc FIELIZ corticem nostrum multis laudibus in febrium putridarum curatione extulit *b*). Et GVENZIVS *c*) pluribus ante annis omnes praedictas salicum species analyfi chemicae subiecit, dein vero in ipsa sua praxi adhibuit, ubi inuenit, salicis fragilis cortici vim magnam antisepticam praeprimis attribuendam esse. In febribus intermittentibus eo etiam usus est multosque casus enarrat, qui manifestant, illum vna cum cortice salicis albae tam quotidianam quam quartanam nullo negotio vicisse. Febrium catarrhalium putridarum peticulis complicatarum quoque mentionem facit, in quibus noster nec non aliarum salicum cortex magnam tulit opem.

§. III.

Omne genus porro morborum neruorum tollit, cum neruos relaxatos roboret atque confirmet, sensilitatemque eorum amissam resuscitet. Vim quandam singularem tribuit ei GVENZIVS in epilepsia et paralyfibus medendis. Historiam morbi iuuenis cuiusdam onaniae vitio dediti enarrat, qui vicesimum et primum aetatis suae annum agens primum dextrae manus et pedis sinistri, octo autem horarum
spatio

b) Richters Chirurgische Bibliothek, 6 B.

c) De cort, sal, cort, peruu, substit, commentatio, Lips. 1787.

spatio elapso manus sinistrae dextrique pedis paralyfi corripiebatur. Altero die omnes artus pristinis iterum muniis fungebantur, repente tamen fulmine quasi ictus omnibus voluntariis motibus denuo priuabatur, quo in statu per totum hunc diem perseuerauit, vsque dum tercio die exeunte latere sinistro mouendi facultatem recuperante sola dextri lateris hemiplegia remaneret. Hanc euacuantibus intercalatis, diaeta exactiori et frictionibus pulueris corticis salicis vitellinae vncia dimidia quotidie adhibiti sex septimanarum intervallo ita sustulit, vt aeger quoduis membrorum suorum libere mouere potuerit, et medicamento hoc per aliquot septimanas adhuc continuato in priorem sanitatem restitutus sit. Haec salix vitellina; quid demum a fragili expectandum?

§. IV.

Iam supra memoratus FIELIZ, Luckauiae in Lusatia inferiori artem obstetriciam praecipue exercens, sequenti modo corticem nostrum praeparat et adhibet. Arboris ramos iuniores anniculos delibrat corticemque loco vmbroso paulatim siccatum comminuit in pulueris formam. Aegrotis autem hunc puluerem detrectantibus infusum frigidum ex vnciiis duabus corticis puluerisati et aquae fluuiatilis mensura vna parat, quod iis propinat. Refert se omnibus istis morbis, qui alias corticis peruuiiani opem efflagitant, optimo semper successu hoc medicamentum

tum adtemperasse. Mihi licitum sit, vnam tantum suarum obseruationum hic commemorare. Vetula quaedam septuaginta annos nata, hydrope ascite atque totius pene corporis tumore oedematoso multum vexata medicum accersi iubebat, qui illi pulueris e millepedibus et squillae radice commisti vsum commendabat. At parum commodi hoc ei afferebatur, sed praepediebat potius vesicae exinanitionem ardoremque dolorosum et in hac et in recto intestino excitabat. Breui autem post tempore gangraena oedemati pedum se insuper adiungente FIELIZII auxilium imploratum est. Totum abdomen aquae plenum videbat ac crura a talis ad genua vsque gangraena occupata. Pulsus debilis celerque tactus, vires plane effoetae erant. Ad gangraenam semper adhuc latius serpente[m] limitandam, vrinam ciendam viresque subleuandas puluerem ex vnciis duabus corticis nostri et vncia vna cremoris tartari quater de die drachma sumendum praecipiebat. Omnes externas partes corruptas ad viuum vsque resecuit. Qua operatione facta vix aliquid carnis ossibus pro tegmine relinquebatur. Tum autem decoctum corticis salicis fragilis concentratum parauit, quo magnam salis ammoniaci copiam soluit idque pulti e radicibus carotarum factae superinfudit. Hanc mixturem locis gangraenosis ita imposuit, vt iustis interuallis renouaretur. Cum sic foeminam tractaret, res melius ire incepit; vrina copiosior reddi, gangraena gradum sistere, foetor intolerabilis desinere

et caro relicta putrida seiungi. Vsu infusi frigidi ex cortice nostro per aliquod tempus adhuc continuato ita se habere coepit, ut omnis pristinae valetudinis spes iterum affulgeret. Ex modo enarratis affatim constabit, huic cortici non solum vim admodum antisepticam, sed etiam diuresin promouentem tribui debere; cuius rei veritatem plura pericula in posterum instituenda magis fortasse euincunt. Attamen spem meam in casu huiusmodi quondam fefellit, cum monacho sexagenario ascite cum oedemate pedum coniuncto laboranti usum eius praescripsissem. Primo quidem quidquam opis praestiturus videbatur, postremo autem me deseruit. Et quanquam omnia alia huic morbo congrua medicamenta adhiberem, haec tamen nihilo plus proficiebant, sed aeger quatuor hebdomadam spatio elapso e vita cedebat. Probabile vero est, hic irresolubilem quandam vasorum resorbentium obstructionem in culpa fuisse.

§. V.

Mirum tamen in modum hic noster etiam ad ruffim ex irritabilitate morbosa et spasmis ortum trahentem facit, dum priorem imminuit, elaterem neruorum auget et vi sua roborante eos firmat. In gonorrhoea, quae dicitur secundaria, magnae aliquoties utilitati aegrotis fuit, si nuberem ei rhei radicem. Quid dicam de effectibus suis praeclaris in
ver-

vermibus expellendis, quos multi iam laudarunt? Nihilominus autem cenſeo, hanc vim anthelminticam omnibus ſalicum ſpeciebus pari modo datam eſſe, licet HOFFMANN in diſſertatione ſua, quam ſuper hanc rem conſcripſit, ſoli ſalici laureae illam virtutem aſſignet. Ego ipſe non ſine ſucceſſu corticem ſalicis fragilis infantulis in doſi decem ad duodecim granorum cum tribus vel quatuor granis pulueris radicis ialappae coniunctum praebui. Haud ita pridem ex femina nobili genere nata taeniam quadraginta tres et ſemis cubitos longam uſu corticis noſtri per duas ſeptimanas continuato expulſam, quae illam valde cruciauerat, maximo animi ſtupore vidi; nec amplius ea ſe ullis ſymptomatibus afflictiſſe ſenſit. Occaſione data eo quoque aliquoties in haemorrhagiis uteri et non fruſtra quidem uſus ſum. Duo huiusmodi caſus mihi obuiam facti, quorum priorem ſordes bilioſae primarum viarum, ſecundum autem debilitas duntaxat vaſorum ex partu relicta excitarat. Illo ipecacuanham cortici ſalicis fragilis paruulis doſibus admixtam adtemperaui, uſque dum aegra vomeret; huic vero ſolum corticis noſtri infuſum frigidum oppoſitum eſt; ambas mulieres feliciter curaui.

§. VI.

Quod antiſepticam eius virtutem attinet, plures iam medici de ea meminerunt, et inter alios et-

iam BVCHHOLZ *d*). Pluribus adhuc occasio obtigit, observationibus practicis hanc vim confirmatam videndi, cum nunquam ex corticis laudati usu optimos fructus non perceperint. Nemo vero huic rei maiorem operam dedit, quam Doct. LOEFLER, cuius supra mentio iniecta; cum enim naui cuidam tanquam medicus praeficeretur, quae inter multa pericula versata denique statu miserrimo utebatur, quia maxima manus pars grauiter cum scorbuto conflictaret, hunc salicis fragilis corticem contra tam atrocem hostem in auxilium vocauit, qui semper effectus speratos praestitit. Dicit se omnibus aliis remediis potius carere velle, hoc solo se tantum instructurus, si apparatus medicus ei in posterum adornandus esset. Et mihi eius efficaciam in febribus putridis summo solutionis humorum gradu coniunctis cognoscere licuit, quomodo ex sequentibus magis illucescet.

§. VII.

Anni praeteriti mense Nouembri febris biliosa putrida intermittens in territorio Posnienfi tanta vi epidemice grassata est, vt nulli fere homini parceretur. Cum autem ditionis per nouem milliaria patientis curam medicam gererem, mihi etiam abunde copia pericula cum cortice nostro instituendi facta est.

d) Chemische Verf. über einige d. einheim. antisept. Substanzen, Weimar 1776.

est. Pluribus ex casibus vnum solummodo enar-
randi veniam peto. Rhedarius quidam ex pago vi-
cino in morbum incidebat omnia febris biliosae sym-
ptomata prodentem. Postquam me aduocauerant,
secundum eam, quam febris haec postulat, metho-
dum aegrum tractaui; quo facto omnis optimi euen-
tus spes adfuit. Spiritus ardentis vsu, cui multum
deditus erat, ei interdixi, quo in loco quotidie ali-
quot vini haustus administrari iussi. Praeceptis diae-
reticis remediisque idoneis traditis et aegrum et lo-
cum reliqui, quia alia negotia negabant mihi spa-
tium hic amplius morandi. Octo diebus elapsis rur-
sus ad maritum visendum ab vxore eius inuitatus,
omni sensu destitutum ac mentis perfecte impo-
tem eumprehendi. Rem inopinatam mirans an-
tegressa diligentius disquisiui. Tunc demum con-
iux me certiore fecit, maritum noctu se inconscia
e lecto surrexisse et cauponam adiisse, ibique multis
spirituosis ingestis manum cum agricolis conseruisse,
quo factum sit, vt animo derelictus domum porta-
retur. Cum eum propius examinarem, linguam
muco flauescente obductam vidi, pulsus erat durus
ac plenus, genae rubebant, aspectus ferox delirium-
que validum simul aderant. Protinus venam secan-
dam imperitaui, quo iussu peracto sanguinem edu-
ctum frustra inflammatoria gaudere a me observa-
tum est; nihil tamen leuaminis haec operatio ae-
groto afferebat. Paulo post vero rationis ac sen-
suum vsu quadantenus recuperabat, ita, vt de do-
lore

lore capitis et nausea conqueri posset. Quibus auditis tartari emetici grana quatuor in sufficiente aquae copia soluta sensim ei porrexi, quo ex ventriculo materiam corruptam eliminarem. Hunc scopum facile attigi, siquidem aeger iterata vice multum euomuit fluidi flavi, foetidi et tanta causticitate praediti ut ipsum suum indusium corroderet. Vomitu peracto symptomata praedicta aliquantum confestim leniebantur atque per aegri membra somnus quietus se diffundebat, qui eum per horas tres absque insomniis perturbantibus tenuit. Tunc ei mixturam salinam cum tartaro emetico coniunctam praeberi curabam. Sexto morbi die aegrotum in statu miserrimoprehendi; nam caput eius valde inflammatum, tumidum ac rubrum erat. Intumescentia naturalem capitis magnitudinem tertiae fere parte excedebat; praeterea quoque se ita in latitudinem effuderat, ut ipsum pectus occuparet et respirationem difficilem redderet. Denuo sanguinem e vena mitti iubebam, qui simili crassa inflammatoria crassa multisque striis ex luteo virescentibus pertexta instructus erat. Interne nitri et oxymellis usum copiosum praescribebam. Haec omnia tamen nihil profecerunt. Cum enim die octavo aegrum mane viserem, sopore continuo deliriis taciturnis et virium magna prostratione coniuncto eum oppressum inueni. Pulsus ita debilis, ut vix a digito admoto sentiri posset; per totum corpus fusci coloris petechiae conspectui se offerebant. His sympto-
ma-

matibus nocte praeterita diarrhoea accesserat, quae aegrum tricesies ad aluum laxandam impulerat. Ad quam sistendam vnciam vnam corticis salicis fragilis in infuso frigido adhibui, cui acidi vitrioli iustam copiam et aliquot guttulas laudani liquidi SYDENHAMI admiscui; vesicatoria praeterea applicari curavi. Decimo die haec aegri conditio nondum in melius mutata erat; diarrhoea quidem paulum remiserat, sed in tumore capitis hinc inde maculas lividas gangraenosas videre licebat. Simile quicquam alia corporis loca experta, praesertim ea, quibus vesicatoria adnota erant. Haec enim ichorem putidum fundebant et tantam carnis iacturam faciebant, ut ipsa partium ossa intuitui paterent. Nunc vero infusi modo descripti, cui camphoram adhuc addebam, doses duplices exhibui. Locis gangraenosis tam capitis quam partium aliarum dehiscentibus et saniem putentem emittentibus epithemata e corticis nostri decocto concentrato imponi debebant. Undecimo morbi die status adhuc idem erat; duodecimo autem pulsus excitatiorem, aegrum magis animi compotem reperiēbam, urina sedimentum exserebat. Cum medicamentorum dictorum usum continuari iuberem, indies melius ex hoc tempore se habere coepit. Octo diebus post visitatione iterata loca affecta ab omnibus immunditiis liberata vidi, pus bonae indolis reddebant ac passim iam cicatrice obducebantur. Tunc medicamentorum roborantium ope quatuor hebdomadum spatio elapso ad pristinam sanitatem restitutus est.

§. VIII.

Simili in casu corticem nostrum quoque praestantem inueni. Vir enim feбри putridae etiam implicitus vni solummodo lateri incumbendo gangraenam sibi conciuerat, quae omnia ad ossa vsque depopulabatur. Et hanc decoctum ex vnciis duabus corticis eiusdem paratum ad colaturae vncias quator intra quatuor hebdomadam spatium amouit, postquam aegrotus quater vel quinquies quotidie cum eo locum correptum lauerat. Ex omnibus vero his facile liquebit, vim non solum multum roborantem, sed etiam antisepticam cortici salicis fragilis datam esse. Eo denique pacto cortici peruuiano interdum anteferri meretur, quod locum plerumque habeat, vbi ille non tuto adhiberi possit. Ventriculum nimirum valde debilitatum cortex peruuianus infirmiore redderet et aluum in obstructions proclivem magis obstrueret, cum noster se plane contrarium ostendat; hanc enim leniter soluit, illum non aggrauat. Vnico saporis vitio laborat, quo etiam fit, vt aegri semper fere puluerem recusent.

